Digitized by Google

B.a VII. 35

BIBLIOTECA
REGIA
CASANATENSE
B
VII
35
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMO ATQVE OPTIMO VIRO, PETRO CONTARENO, PATRITIO VENETO, PETRVS FRANCISCVS ZINVS S. D.

INVICTISSIMVS, & ſanctiſſimus ille uir, Petre Contarene nobiliſſime, qui ſingulari uirtute maximas & grauiſſimas perferens calamitates, patientis cognomen inuenit, ſapienter & uere mortalem hãc hominũ uitam militiã appellauit. Nam cũ ex animo corporeq; conſtemus, et horum utrunque uel per ſe, uel cum altero, uel cum rebus externis poſſit conſiderari, quis, niſi ſenſibus menteq; careat, perpetuas elementorum, in corpore noſtro ad internecionẽ uſque decertantiũ, neſcit inimicitias? quis tam multa ipſum incommoda extrinſecus ſemper urgentia non uidet? quis periculoſiſſimum animi cum ipſo corpore certamen non experitur? quis aſſiduam in animo uirtutum cum uitiis, ſpiritus cum ſenſu, hominis noui cum ueteri contentionem non ſentit? quis acerbiſſimas hominum, tum bonorum cum improbis, tum improborum inter ipſos, dimicationes nõ cernit? quis denique antiquiſſimi atque immaniſſimi hoſtis Diaboli, innumerabili ſatellitũ manu genus uni-

CC. IX. B

uerſum humanum, atque adeo ſingulos homines nunquam non oppugnantis, uim, fraudes, ac dolos ignorat? Vt non tam accuſandus, deteſtandusq́; eſſe uideatur primus hominum parens, qui iucundo pomi ſuauiſſimi aſpectu, dulciq́; chariſſimæ coniugis hortatu ſe ab hoſte calidiſſimo uinci miſer ſit paſſus, quàm perpetuo collaudandus, et ſummo atque incredibili amore diligẽdus humaniſſimus ſeruator noſter, ac Deus IESVS, qui pro nobis & naſcens, & moriens, nón ſolum hoſtem hunc crudeliſſimum, mortemq́; ipſam unà cum reliquis noſtris aduerſarijs ipſe deuicit, uerum etiam nobis eam largitus eſt uim, atque robur, ut eos ipſi quoque ſuperaremus. ſiquidem ea nobis præſidia, adiumentaq́; tribuit, quibus protecti, inſtructiq́; nec uulnerari unquam, & hoſtes confodere facile poſſemus. Etenim cũ arma illa cõmunia, quibus homines natura quodã modo ſemper muniri potuerunt, nempe prudentiã, iuſtitiam, fortitudinẽ, temperantiam nobis cõmendaſſet, longeq́; firmiora, & politiora reddidiſſet; nouis præterea nos induit, & ornauit, ut fidei ſcuto, charitatis lorica, galea ſpei ſalutis, & gladio ſpiritus, quod eſt uerbũ Dei. Certaminis tempus, totam ſingulis hominibus uitam conſtituit; campũ ſeu circum, aut ſtadium, orbem terrarũ, in quo, tanquam in pulcherrimo theatro, interſunt pugnæ cœleſtes ſpiritus ſpectatores, inter quos ipſe ſtudioſiſſimus ſedet adiutor, & æquiſſimus iudex, optatiſſimã immortalis gloriæ, ſempiternæq́; felicitatis coronã uictoribus donaturus. Beati, qui tam opportuno tempore nati ſunt: beatiores, qui ſumptis armis in certamen deſcendunt: beatiſſimi, qui ſtrenue conſtanterq́; pugnando talium

Digitized by Google

ſpectatorum oculis placent, & iudicis ſententia comprobantur. Quis, certiſſima uictoriæ ſpe, ampliſſimisq; propoſitis præmijs, non ad certandū promptiſſimus accedat? Attamen, quod ualde miſerandū, ac dolendum eſt, paucos uidemus, qui arma uelint induere: pauciores, qui non ea, ſi induerint, uel ſtatim, uel paulo poſt abijcientes, aut fugiāt, aut hoſti manus dent immaniſſimo: pauciſſimos, qui ad finē uſque certaminis fortiter pugnātes perſeuerent. Quòd ſi qui ſunt eiuſmodi, ij merito & ab inferis metuēdi, et mortalibus admirandi, & à cœlitibus amandi exiſtimantur. nullū enim ſpectaculū uel infernis hoſtibus horribilius, uel hominibus glorioſius, uel beatis illis mentibus iucundius eſſe poteſt pugnatore illo chriſtiano, qui fortiter in omni uita dimicādo ſe ſtrenuum ſemper, inuictumq; præſtiterit. Equidem illud in maximis Dei erga me beneficijs numero, quòd mihi conceſſerit, præclara aliquot eius generis ſpectacula contueri. quorum illud admirabile, & præcipuum exiſtimo, quod adoleſcēs adhuc, ac plane puer in Io. Mattheo Pontefice Veronenſi, quem honoris, & amplitudinis gratia nomino, perſpexi. Fuit enim eximius ille uir, innocentiæ, frugalitatis, continentiæ, diligentiæ, liberalitatis, ſanctitatis, ac uirtutum omnium ſpecimen ſingulare, & re ipſa factisq; optimi Paſtoris exemplum expreſſit. Is iam inde ab ipſa pueritia ad ultimū uſque uitæ diem, quo plaudentibus cœlitum choris ab integerrimo iudice palmam tulit, fortiſſimo ſemper animo decertauit, nunquam pedem retulit, nunquam de conſtantiæ detectus eſt gradu. cumq; reliquos ſui generis homines in prima acie pro grege ſibi cōmiſſo ſem

Digitized by Google

per excubans, acriter aduerſus omnia uitia, eccleſiæq; aduerſarios, & rerum nouarum cupidos pugnans uiciſſet, ſe ipſum denique ſuperauit. Id cum multis alijs in rebus, tum in ea potiſſimum apparuit, quòd, cum ſacerdotijs, & diuitijs abundaret, ſacerdotia uiris optimis, & probatiſſimis, quos ea recte adminiſtraturos putabat, commendauit, diuitias & rem omnem familiarem pauperibus ita diſtribuit, ut cõſanguineis, propinquiſq; ſuis nihil relinqueret præter memoriam nominis, exemplumq; uitæ ſuæ. Quorſum hæc tam longe, inquies, repetita de uiro mihi notiſſimo & amiciſſimo? Vt ad te nimirum per hominem tibi coniunctiſſimum aditum mihi patefacerem, cuius ego multas, magnaſq; uirtutes tum demum ſum admiratus, cum illuſtri ipſius teſtimonio comprobatæ ſunt. Nam cum animaduerterem, hominem ſapientiſſimũ, qui omnes in chriſtiana Rep. uirtute præſtantes uiros perſpectos & cognitos habebat, ijs, quibus debebat, declaraſſe, te unum ex omnibus à ſe idoneũ exiſtimari, qui eo munere, quod ipſe diligentiſſime atque integerrime geſſerat, fungeretur: cœpi mecum ipſe cogitare, quidnam potiſſimum tantus ille uir in te perſpexiſſet, ut tam præclare de te ſentiret. Licet enim te in ampliſſima Rep. ex familia nobiliſſima, diuitijs, honoribus, clientelis abundanti, natũ eſſe ſcirem, non tamen adduci poteram, ut crederem, eum his rebus adductum te cæteris prætuliſſe. Itaque cũ rem attentius inueſtigarem, in eam ſententiam deſcendi, ut illũ quadam animi, atque ingenij ſimilitudine id præſtitiſſe iudicarem. Quemadmodum enim ipſe neglectis omnibus ijs, quæ maxima uulgus putat, pro quibus aſſidue digla

diatur, ſe totũ uirtutis, religionis, pietatisq́; ſtudijs addixe rat, ſic intelligebam, te eiſdem ſtudijs à puero ita inflam matum teneri, ut, poſthabitis rebus omnibus, in eam unam curam incumberes, qua uirtutem, religionem, pie tatẽ colens, Deo quàm gratiſſimus euaderes: eo factũ eſſe, ut, pueritia bonis in diſciplinis ſumma cũ laude tranſa cta, quum in Gallia triennium & eo amplius adoleſcẽs cũ uiro fortiſſimo & clariſſimo equite Zacharia, patre tuo, pro Reip. libertate gloriaq́; in carcere traduxiſſes, ſapientiumq́; multorum exemplo regiones plurimas pe ragraſſes, quo perſpectis multarum ciuitatum inſti tutis, atque hominum moribus prudentior, ac melior fieres, uolueris etiam, ut beatus olim Hieronymus, alijq́; complures uiri ſanctiſſimi, Palæſtinã inuiſere, & ea lo ca ſacratiſſima, in quibus ſeruator & Deus noſter D. IESVS pro nobis & naſci, & uiuere, & mori digna tus eſt. Inde reuerſus in patriam, cũ honores, magiſtra tusq́; nolles ſuscipere, quòd ea res rectum animi tui cur ſum, & inſtitutum impeditura uideretur, nec tamen pa triæ uelles ciuis inutilis eſſe, eam partem arripuiſti, quæ à pleriſque neglecta nihil inuidiæ, nihil periculi cõtine ret, ut pauperum curam gereres, & Chriſtum in paupe ribus coleres. Quod quidem ſtudium ſemel amplexus nunquam deſerere uoluiſti, ſed in eo diligentius in dies ſingulos excolendo perſtitiſti. His de cauſis præclarã il lam Io. Matthæi de uirtute tua opinionem natam exiſti mo. Eaſdem ob cauſas te mihi ſemper obſeruandum & colendum iudicaui. In quo mihi Deus adeo propitius fuit, ut ad intimam familiaritatem, & beneuolentiam tuam aperiens aditum, occaſionem obtulerit, ut, quem

Digitized by Google

uoluntate mihi diligendũ, & obſeruandum ſuſceperam, eundem, multis eius in me officijs, & meritis prouocatus, neceſſario, niſi ingratus eſſe uellem, amare, colere, atque obſeruare deberé. Tuorũ autem erga me beneficiorũ illud mihi gratiſſimũ fuit, quòd, cum Patauium bonarum artium gratia me ſuperioribus annis unà cũ ornatiſſimo adoleſcente Antonio Giberto contuliſſem, tu nobis ædes tuas, amplas, atque magnificas, & omni neceſſaria ſupellectile inſtructas, ad habitandum non uerbis ſolum, ut fit, obtuliſti, ſed, eas ut acciperemus, coegiſti. Eodemq; tempore ſacerdotium, cuius conferendi ius ad familiam tuam clariſſimam ſpectat, multis id tum ambiendo, tum flagitando ſpe iam deuorantibus, mihi, nihil ea de re cogitanti, ultro detuliſti, Venetijs humaniſſime ſcriptis ad me literis, quibus orabas, ut illud accipere ne recuſarem. cumq; ego liberaliſſimi animi tui magnitudinem admiratus, gratias agens reſcripſiſſem, me tam egregiũ amoris in me tui pignus ſine magna ruſtici, puſilliq; animi nota repudiare non poſſe; tu rurſum humaniſſimis, ac ſuauiſſimis uerbis ita reſpondiſti, ut non dediſſe beneficiũ uiderere, ſed accepiſſe. Hæc ego libentiſſime cõmemoro, tum quia nihil in omni mea uita mihi gratius, aut iucũdius accidit; tum, ut, quando propter amplitudinem tuam, tenuitatemq; meam referre gratiã nequeo, teſtatum relinquam, me tibi & plurimis, & honeſtiſſimis nominibus eſſe deuinctum, utq; omnes non ſolũ innocentiæ, religionis, pietatis, continentiæ, ſed etiam ueræ liberalitatis exemplũ in te ſuſpiciant, & imitẽtur. Et quoniã ſcio, te, quamuis mira ſedulitate, Chriſtum in pauperibus fouendo,

Digitized by Google

Martham æmuleris, aliquid tamen quotidie ſpatij cum Maria tum diuinas res meditando, tum precationibus, et ſacris literarum ſtudijs incumbendo conſumere, dono tibi commentariolum hunc B. Gregorij Nyſſæ Pontificis in ſex dierum opificium, quem ego ſuperioribus menſibus, cum Romæ abeſſem, & Balneoregij cum Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Cardinali Reginaldo Polo, patrono meo, uiro tui ſtudioſiſſimo, atque amantiſſimo, commorarer, mihiq; ſingulari eius benignitate non nihil otij ſuppeteret, animi gratia in latinũ conuerti. Verum, quia in eo commentariolo uir ſanctus mundi fabricam ita contemplatur, ut naturalẽ tantummodo, et hiſtoriæ congruentem in rebus procreatis ordinem explicet, eas ob res, quas in eius cõmentarioli exordio ipſe perſequitur; tu autem, quamuis huiuſce generis ſcripta non aſpernere, ijs tamen uehementius delectaris, quæ ad uitã, moresq; pertinent; duas adiunximus orationes in hominis procreationem admodum pias, quæ licet ab eiuſdem auctoris, & multo etiam magis à Baſilij Magni, cui eas à quibusdam falſo attributas audio, ſcribendi conſuetudine abeſſe uideantur, antiquiſſimæ tamen ſunt, & aut ab ipſo Gregorio adhuc iuuene forte compoſitæ, antequam abſolutiſſimum illum librum de homine, qui græce, latineq; extat, perſcripſiſſet, aut ab aliquo eiuſdem ætatis uiro tum pio, tum minime indocto. certe in codice uetuſtiſſimo, quem mihi doctiſſimus atque humaniſſimus idem adoleſcens Antonius Gibertus accommodauit, commentariolum ipſum in mundi fabricam ſtatim ſubſequuntur: ut, quoniam in eo omittitur de hominis procreatione conſideratio, ipſæ locum illum explerent. Addidimus

aliquot alias eiuſdem auctoris orationes, ut pulcherrimam illam in diem natalem Chriſti, in eius aſcenſum in cœlum, in Pentecoſten, in eos, qui acerbius iudicant, quiq; indigent pœnitentia, duas præterea longe doctiſſimas, & elegantiſſimas, quarum altera perfecti chriſtiani formula traditur, altera demonſtratur, non eſſe dolendum in eorum obitu, qui in fide dormierunt. Accedet Gregorij illius rerum mirabilium effectoris oratiuncula de animi immortalitate. Cum his poteris ipſe coniungere tres illas de pauperibus amandis & benignitate complectendis, quas antea tibi muneri miſimus. Ex quibus omnibus tanquam ex totidem ſuauiſſimis floribus cõtexetur munuſculum noſtrum: quod tu pro ſingulari humanitate tua libenti animo ut ſuſcipias, te etiam atque etiam rogo. Vale. Romæ, Kalendis Ianuarij, M. D. LIII.

Ex libro beati Hieronymi de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

Gregorius Nyſſenus, frater Baſilij Cæſarienſis, ante paucos annos mihi & Gregorio Nazanzeno contra Eunomium legit libros, qui & multa alia ſcripſiſſe, & ſcribere dicitur.

Digitized by Google

D. GREGORII NYSSAE PONTIFICIS, MAGNI BASILII FRATRIS, IN HEXAEMERON INTERPRETATIO, AD PETRVM FRATREM.

QVID agis, homo Dei? cur ea nos, quæ uires humanas ſuperãt, aggredi, & onus, quod non modo ſuſtineri, ſed ne ſuſcipi quidem, ut ego ſentio, ſine reprehenſione poteſt, ſubire iubes? Vis enim, ut, quæ cœleſti numine afflatus de mundi procreatione Magnus Moſes prodidit monumentis literarum, quæ primo quidem aſpectu inter ſe contraria uideantur, ordine quodam diſponam, ſanctamq; ſcripturam ſibi ipſi conſentientem ac conſtantem eſſe demonſtrem, idq; poſt diuinam illam Patris noſtri in idem argumentum commentationem; quã qui legerunt, non minus, quàm ea, quæ ab ipſo Moſe perſcripta ſunt, omnes admirantur, & merito mea quidem ſententia. Nam quam rationem habet cum grano ſpica, quæ & ex illo prouenit, & illud eſt, uel potius quæ, cum illud ipſum ui ſit, magnitudine tamen ab eo, &

Digitized by Google